DE PRIMIS ARISTOPHANIS FABULIS QUA RATIONE IN SCENAM COMMISSAE VIDEANTUR.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONCESSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

LITERARUM ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPTAM EDIDIT

MAURITIUS ZWERGER,

SCHOLAE QUAE RIEDII IN AUSTRIA SUPERIORE EST MAGISTER,
PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXVIII.

Comoediae veteris graecae studium quum recentissimo tempore laetius effloruerit, et per industriam in fabulis ipsis, commentationibus, grammaticorum collectionibus positam largos fructus ceperit: multa tamen in ipsis his modicis fabularum reliquiis restant quae aut subsidiorum inopia ipsiusque antiquitatis silentio aut testium ambiguitate ac discrepantia altiorem indaginem aut latuisse aut elusisse videantur. Ac primum quidem is qui in Aristophaneis accuratiori versetur studio memorabile et cognitione dignissimum habebit quid sit statuendum de primis poetae fabulis quae aliorum poetarum nomine in scenam prodiisse dicantur. Haec igitur quaestio quum proximis annis ab aliis diligentius instituta esset ab aliis res praefractius posita, summam disquisitionum diversissime agitatam non mirabitur nostris temporibus qui considerarit quantum jam ipsi alexandrinorum criticorum principes in singulis fabulis accuratius constituendis incerti interdum haeserint. Nec potest res ad liquidum perduci nisi omnibus testimoniis etiam quae ficta ac falsa sint compositis atque inter se comparatis sine praecepta opinione quod verum sit eruatur.

Igitur fabulam quam primam fecit Daetalenses non suo nomine docuisse Aristophanem sed alium subornasse poetam, quum loco Nubium notissimo tum omnium hodie consensione constat: de iis quae proxime insequutae sunt Babyloniis et Acharnensibus non tam aperta exstant testi-

monia quin suo quisque rei intuitu verique specie sibi ipsi oblata duceretur.

Atque ut ordine quodam progrediatur disputatio nostra primum didascaliarum fragmenta nostris temporibus servata tanquam fundamentum rei examinabimus, tum Aristophanis ipsius locos, interiores et quasi sanctiores fontes, quamvis ambigua interdum et contorta interpretatione obscuratos adibimus, eosque cum scholiis et grammaticorum testimoniis contendentes accuratius quaestioni insistemus.

Ac didascaliae quidem illae Aristophanis fabularum quae sunt singulari fide ipsorum Alexandrinorum curis conscriptae eoque praecipuum interpretationis adjumentum, ubi de fabulis ipsis quo sint modo et tempore doctae referunt, certis continentur formulis, ut ex verbis quibusdam similiter positis similis quaedam inter fabulas ratio concludi possit.

Missis igitur illis grammaticorum notis quae de tragoediarum singularum tempore ac victoriis poetarum servatae sunt, quamvis ne hae quidem si pleniorem omnium comparationem instituas negligendae videantur, illas perlustremus didascaliarum reliquias quae ad Comici fabulas novem scriptae exstant: simili illas forma, ac stricta quidem et contracta omnes, ut tamen pleniores in singulis notitiae compareant in aliis praecisiores. Omnes archontem referunt quo docta fabula perhibeatur, omnibus — si unum Lysistratae argumentum mancum certe excipias — poetae denotantur *ἀντιδιδάσκαλοι,* fabularum commissarum et praemiorum in victoriis distributorum ordo additur; nec vero festum negligitur quo sint doctae singulae fabulae, excepto Pluti et iterum Lysistratae argumento; Vesparum didascaliae Olympiadis adjicitur annus quamvis sit ipso magistratus nomine definitus, et qui primas egit partes Pacis argumento expresse significatur.

Qui vero docuerit ipsam ad quam didascalia quaeque pertinet fabulam, de quo nunc maxime agimus, argumentis memoratur Avium Acharnensium (*ἐδιδάχθη διὰ Καλλιστράτου*) Vesparum Ranarum (*ἐδιδάχθη διὰ Φιλωνίδου*) Equitum (*δι' αὐτοῦ τοῦ Ἀριστοφάνους*), cujus explicationi inservit quod immutata paululum forma legitur in Lysistratae argumento: *ἐδιδάχθη ἐπὶ — — εἰσῆκται δὲ διὰ Καλλιστράτου*, atque idem significare *καθῆκεν* ostendunt loci quibus conjunctum legitur utrumque, Avium argumentum: *τὸ δρᾶμα καθῆκε διὰ Καλλ. — — τὸν Ἀμφιάραον ἐδίδαξε διὰ Φιλωνίδου*, Pluti (IV ap. Bek.) *διδάξας ἐπὶ τῷ ἰδίῳ ὀνόματι τὰ ὑπόλοιπα δύο δι' ἐκείνου καθῆκεν*, Pacis: *πότερον τὴν αὐτὴν ἀνεδίδαξεν ἢ ἑτέραν καθῆκεν*. Idem interdum *ἀναφέρειν εἰς σκηνὴν* dicitur (v. Casaub. Anim. ad Athenaeum p. 413).

Hinc quum suboriatur quaestio quales fuerint quibus docendas fabulas poeta tradiderit, primum is qui fabulam docuisse perhibeatur a Chori moderatore distinguendus est. Hic enim *χοροδιδάσκαλος* sive *χοροστάτης* quem mercede conductum cum Choro ipso Choragus poetae tribuere solitus erat, instituisse videtur atque docuisse choreutas, saltandi potissimum artem praemonstrando exercuisse ne rudes plane et adversus poeticam artem occlusi essent: poetae autem erat ut actores a populo sibi quondam sorte tributos instrueret, versus singulos qua vocis modulatione recitatos vellet quo firmius memoriae infigerentur ipse praecineret, si quid monito opus esset intelligenter suggereret. Idem certe cantum chori, quem elementis imbutum a chori magistro acceperat ipse moderabatur, ut apte et numerose procederet omnis *ἐμμέλεια*, gestus motus conversiones omnem diathesin scenicam inspiciebat ut bene cum verbis ipsis concinerent, quidquid ad *σκευοποιίαν* pertinebat sedulus cu-

ravit, omnem denique actionem et quasi summum fabulae ipse rexit. (Conf. Wolfium Prol. Hom. p. CIII sq. Böttiger q. s. docere fab. p. 8.)

Hanc vero operam molestiorem contentionisque ac sudoris plenam alii interdum ὑποδιδασκάλῳ ingerebat poeta, si is arte et usu satis peritus atque in ipsa scena magis versatus esset, hujus arti judicio industriae omnem fabulae successum et suae laudis insignem partem committens. Quas partes ne chori magistrum recepisse suspiceris, illi quidem non eximio ingenio opus erat sed aliqua exercitatione, praesertim in Comoedia, cujus melicae partes, quamquam ne in his quidem minima veteris Comoediae laus versatur, implicatioribus tamen illis tragici chori artificiis caruerunt. Potius ex primarum actore omnis comoedia pendebat, illumque ut in arte histrionia praestantissimum fuisse, ita omnium partium inter se rationem optime perspexisse opus erat: quo factum videtur ut quum mos ille antiquissimus ut poetae ipsi fabularum suarum primas agerent (Aristot. Rhet. III, 1) paulatim artis hujus perfectione in desuetudinem abiret, invicem saepe primarum actor etiam doceret fabulam suoque ex usu omnem dirigeret. Itaque in didascaliis illis primarum actores Philonides ac Callistratus in scenam commisisse fabulas perhibentur: Equites ipse docuit ut primarum actor; nec tamen etsi declinato τῷ διδάσκειν certe etiam ὑπόκρισιν alii commisit — id quod prioribus illis comprobatur didascaliis — ideo quotiescunque non ipse egit nec docuisse ipse putandus erit. Id vel Pacis didascalia redarguit quae est immutata paululum forma ita scripta: *ἐνίκησε τῷ δράματι ὁ ποιητής — πρῶτος — δεύτερος Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ, τρίτος — ὑπεκρίνατο Ἀπολλόδωρος.* — Nisi vero negligenda est hujus argumenti a ceteris discrepantia, Apollodorum

tertium illum histrionem comicas Trygaei partes optime agere posse confisus erat, non item omnem illius fabulae artem partiumque inter se nexum ita perspecta habere ut victoriae discrimen ex judicio et intelligentia hominis omne suspensum faceret. Ac doctam ab ipso Aristophane hanc fabulam esse clarius etiam altero argumento perspicitur: *φέρεται ἐν ταῖς διδασκαλίαις καὶ ἑτέραν δεδιδαχὼς Εἰρήνην ὁμοίως ὁ Ἀριστοφάνης.* Ita Plutum alteram docuit *ἐπὶ τῷ ἰδίῳ ὀνόματι, τὸν υἱὸν αὑτοῦ συστῆσαι Ἀραρότα δι' αὐτῆς τοῖς θεαταῖς βουλόμενος,* in quibus utcunque de filio statuatur priora illa doctam a patre fabulam produnt eumque hoc nomine monumentis publicis inscriptum. De Nubibus dubia res est, videtur autem quod cecidisset fabula (*ἀποτυχών*) ideo ejus qui docuit et actoris nomen consulto oblivioni datum esse.

Non levis autem quaestio est, si alii docendam commendaverit fabulam, poetaene an docentis victoria visa fuerit, sive ut didascalica fragmenta urgeamus illane quae victoriam reportatam denotant verba ad poetam referenda sint an ad didascalum atque actorem. Constat quidem honorem actori primarum contigisse ut in didascaliis nomen ejus consignaretur, etsi is ne didascalus quidem fuerat; simul autem in ipsis didascaliis vetustioribus unde nostras transcripserunt grammatici poetae nomen poni solitum ac nonnisi in nostris his argumentis pariter ac fabularum titulos omissum esse, verisimile et prope necessarium est. Ita in Pacis argumento voces quae superfluae videantur *Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ* negligentia quadam servatas habes. Neque alia est ratio in monumentis illis paucis publicis ad rem scenicam spectantibus, quae quidem non ex didascaliis ducta atque in catalogum relata sunt, sed ipsam didascaliarum formam referunt. Documento est titulus in Corp.

Inscr. I. n. 231, p. 353 sq. ex quo apparet primum magistratus nomen positum esse, tum ex ordine poetas ἀντιδιδασκάλους, addito numero commissionis (τε. πεμ.) fabulae titulo, primarum actore, idque si bis idem erat nomen ponendum accuratissime iterum exarato. Quae inscriptio quamquam est ex Olymp. CVI quum tamen unicum hujus generis monumentum sit rationem omnem qua primitus fuerint confectae didascaliae explicat ac dilucidat. Hinc quum et poeta memoretur et histrio victoriam credibile est poetae assignatam potius quam ei cujus auxilio in actione scenica usus erat, qui quantumvis bene de fabula meritus tamen secundaria tantum laude ornari poterat; idque si per ordinem ac nexum sententiarum licebit ubique factum putabimus.

Itaque in argumento Ranarum: ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου — διὰ Φιλωνίδου εἰς Λήναια — πρῶτος ἦν. Φρύνιχος β' Μούσαις, Πλάτων γ' Κλεοφῶντι· in quo illud πρῶτος ἦν vix dubium videtur quin ad poetam potius quam ad histrionem referendum sit, etsi is ultimo loco nominatur. Est enim ἐδιδάχθη positum pro ἐδίδαξεν ὁ ποιητής fabulae quae proposita est potiori quam docentis respectu habito, contra in Avium didascalia de fabula quae non ante oculos versatur τὸν Ἀμφιάραον ἐδίδαξε διὰ Φιλωνίδου. Ita in Pluti argumento ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀντιπάτρου ἀνταγωνιζομένου αὐτῷ e. q. s. unusquisque ad αὐτῷ supplebit τῷ ποιητῇ quoniam haec est principalis notio non nisi nomine omisso. — Quae autem proxime sequuntur et victoriae ordinem referunt poetarum nomina histrioni ita ἐκ παραλλήλου posita vix crediderim. Verum quae Brunkius scripta edidit in eadem didascalia Φιλωνίδης ἐπεγράφη καὶ ἐνίκα ea si certa constant auctoritate ita videntur intelligenda ut Philonides vicisse dicatur non quod partes egisset in fabula, sed quod pro ipso poeta habitus itaque monumentis

inscriptus esset. Est autem *ἐπιγράφειν* scribendo addere, hinc in titulo suprascribere idque ita ut simul auctori res adscribatur, unde Suidas (p. 1349 Gf.) *ἐπιγραφόμενος, ἰδιοποιούμενος, οἰκειούμενος.* Ita Schol. Ran. v. 78 *Ἰοφῶν ἐπὶ τῷ ταῖς τοῦ πατρὸς τραγῳδίαις ἐπιγράφεσθαι κωμῳδεῖται.* Eadem notione est in libro *περὶ κωμῳδίας* (p. VII Bek.), *ἐδίδαξε πρῶτον διὰ Καλλιστράτου — — τοὺς λοιποὺς ἐπιγραφόμενος ἐνίκα.* Nec dissimile est *ἐγγράψασθαι* ap. Schol. ad Plut. v. 179. *Φιλωνίδην οὐ τὸν ποιητὴν τὸν ἐν τοῖς Ἀριστοφανείοις ἐγγεγραμμένον δράμασιν.* Itaque de fabulis *ἐδιδάχθη, εἰςῆκται,* de poeta sive didascalo *ἐδίδαξε, καθῆκεν* addito fabulae nomine, et *ἐπεγράφη* monumentorum publicorum respectu usurpatur.

Eadem est Acharnensium didascaliae ratio, ubi post *ἐδιδάχθη διὰ Καλλιστράτου* verba *καὶ πρῶτος ἦν* novum verborum ordinem incipiunt, eoque non ad histrionem referenda videntur sed ad poetam. Impeditior est Vesparum didascalia quae difficillima omnium ne Kanngiesseri quidem conjectura felicissima omnis explanata est. Constituit is: *ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμυνίου* (legas *Ἀμεινίου*) *διὰ Φιλωνίδου ἐν τῇ πθ′ ὀλυμπιάδι ἔτει β′* (libri *πόλει Ὀλυμπίων ἦν β′*) *εἰς Λήναια.* Quibus additur *καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης Προάγωνι* (Jungermanni olim conjectura pro vulgari *προάγων* nunc lib. Rav. confirmata), *Λεύκων πρέσβεσι τρίτος* (ita Rav., alii Glauconem malunt v. Clinton. F. H. a. 422. n. 4). Probat ac recipit omnia Dindorfius (Ar. fragm. p. 66 sq.), tantum *ἔτει β′* utpote infelici conjectura relegata, *ἦν β′* revocavit, quod annus abesse posset commode, numerus victoriae non posset. At primum si tempus quo sunt fabulae commissae accuratius non archontibus tantum sed Olympiadum numero definitur, tum ipsi in Olympiade anni ubique additi leguntur; ita in Orestiae

et Hippolyti argumentis. Si minus accurate tempus designatur κατὰ τὴν ὀλυμπιάδα dicunt ut in argumento Medeae; ἐν τῇ Ὀλυμπιάδι πθ' omisso anno vix videtur admitti posse, quoniam ipso archontis nomine praegresso tempus multo accuratius designatum est. Tum ordinem respice perturbatum: ἐδιδάχθη — δεύτερος ἦν — εἰς Λήναια. καὶ ἐνίκα πρῶτος e. q. s. quum in ceteris didascaliis recto quodam ordine procedant omnia.

Denique attende ad voculam καί quae quum in initio sententiae progressum faciat ad rem novam necdum memoratam hoc loco inepte videtur posita, et requiritur potius πρῶτος ἐνίκα, vel propter β' ἦν progressum πρῶτος δὲ ἐνίκα. Quae omnia vide an non tolli possint ratione simplicissima, si modo Kanngiesseri conjecturam ut lenem ita necessariam omnem adhibueris, tum vero post verba καὶ ἐνίκα interpunges. Jam recte procedent omnia nec quidquam desiderabis: ἐδιδάχθη ἐν τῇ πθ' ὀλ. ἔτει β' εἰς Λήναια. καὶ ἐνίκα. πρῶτος Φιλωνίδης e. q. s. Ita νικᾶν nudum non de primo tantum sed etiam de secundo praemio ponitur si additum legitur nomen ejus qui retulerit primum: ut in argumento Nubium: ὅτε Κρατῖνος μὲν ἐνίκα Πυτίνῃ, Ἀμειψίας δὲ Κόννῳ. Confer Pacis argumentum simillimum in quo ἐνίκησε τῷ δράματι ὁ ποιητής plane ut hoc loco καὶ ἐνίκα de secunda victoria positum est, sequenti πρῶτος Εὔπολις κτέ.

Igitur hoc quoque loco victor est poeta. Primam victoriam Philonidi vindicat non Vesparum actori sed Proagonis didascalo. Suo enim nomine Philonides hanc Aristophanis fabulam docuit, incertum qua causa, fortasse tamen quod bis suo nomine poetam eodem festo prodire, postea non insolitum (Corp. inscr. n. 231), nondum illo tempore usitatum erat: quod ita certe injuria fieri aliis poetis vide-

batur, nec facile ab Archonte duos Choragos nactus esset.

Restat Avium argumentum: *ἐδιδάχθη διὰ Καλλιστράτου ὃς ἦν δεύτερος Ὄρνισιν,* in quo tantum abest ut Aristophanem intelligendum esse ullis machinationibus efficere velimus ut didascalum fabulae eundemque histrionem pro poeta positum esse et ipsi credamus, confusione admodum naturali quae tamen fortasse ita ut nunc exstat non antiquissimis monumentis imputanda est. Aristophanes enim Byzantinus seu qui alii grammatici didascalica haec argumenta conscripserunt quum poetarum et fabularum nomina summa cura et fide ex Aristotelicis duxerint in transscribendo interdum forma contractiori suisque ex consiliis mutata usi videntur, ut si memoratum etiam histrionem invenerint, hunc poetae dictione minus accurata substituerint. Similiter in fragmento mutilo non didascaliae sed fabularum catalogi, cujusmodi sunt in singulorum poetarum honorem postea ex didascaliis confecti (Corp. Inscr. n. 229) actor [*Χρ*]*ύσιππος νικᾶν* dicitur partibus a poeta sibi in fabula his cognomine impertitis. (Conf. ibi Comment. p. 351.) Sed ut regrediar unde haec disputatio profecta est nihil ex didascaliis his omnibus inter se comparatis elici potest unde Acharnenses alio nomine doctam quam Ranas Proagonem Lysistratam recte colligatur.

At certiora testimonia sunt in ipsis Aristophanis fabulis, eaque cum Scholiis et grammaticorum locis conjungemus. Principalis locus et quasi fundamentum est Equitum parabasis, inter vim comicam et sales acerbissimos fabulae ingenua quadam est simplici lenitate conspicua. Igitur notabili illo loco haec histrio interloquitur (v. 514 sq.):

ἃ δὲ θαυμάζειν ὑμῶν φησιν πολλοὺς αὐτῷ προσιόντας
καὶ βασανίζειν ὡς οὐχὶ πάλαι χορὸν αἰτοίη καθ' ἑαυτόν,
ἡμᾶς ὑμῖν ἐκέλευσε φράσαι περὶ τούτου.

Excusationes deinde promit cur suo nomine prodire adusque cunctatus sit, quod difficillimum esset fabulas scribere, fluxumque ac mobile ingenium populi implere semper et continere. Hinc nomen Aristophanis tanquam veri fabularum quarundam alio nomine doctarum scriptoris, antequam suo nomine docuit rumoribus certe hominum divulgatum esse apparet; quos rumores post Acharnenses doctam undeunde subortos esse atque ut priores fabulas ita hanc quoque tenuisse credibile est, quoniam in Acharnensibus ipsis indicium hujus fallaciae nullum est, neque ultra laudem poetae civilem ac poeticam evagatur ejus parabasis. Fac jam Acharnensibus eum vel si placet Babyloniis suo nomine prodiisse: mirusne esset ipse qui mirationem hominum recentem ita frustraret, obveteratae jam et imminutae materiam postea recoqueret. An postea quam suo scilicet nomine Acharnenses docuit, rumorem illum dissipatum esse credes? Fallor aut ratio omnis quae eum ad celandum nomen impellere potuit ut intenderet hominum animos et studium sibi ac favorem praestruendo conciliaret omnis jam concidet. Postquam vero Acharnensibus egregia certe fabula primam victoriam alii concessit, plausumque omnium hominum certissimum ipse Aristophanes tulit, tum demum mirationis causa exstitit justissima. Jam vero propositis exemplis comicorum qui favore interdum populi cecidissent, Magnetis Cratini Cratetis ita pergit:

ταῦτ' ὀῤῥωδῶν διέτριβεν ἀεὶ καὶ πρὸς τούτοισιν ἔφασκεν

ἐρέτην χρῆναι πρῶτα γενέσθαι πρὶν πηδαλίοις
ἐπιχειρεῖν,
κᾆτ' ἐντεῦθεν πρῳρατεῦσαι καὶ τοὺς ἀνέμους
διαθρῆσαι,
κᾆτα κυβερνᾶν αὐτὸν ἑαυτῷ.

Hanc vero luculentam distinctionem et quasi per gradus factam num temere induxisse putabimus poetam qui nihil molitur inepte, an egregie singulis comparationis membris usum ut sua quidque vi ac notione valeat? Haud dubie quam gradationem inter remigem proretam gubernatorem imagine expressam oculis proposuit ea ipse progressus ingenii primitias aliis suscipiendas fovendasque tradiderat, ut primum quid sibi virium inesset experiri se velle diceret ignotum et omnes latentem, tum quum paulatim innotesceret ipsum auram prospectasse populi, denique conspicuum omnibus suo periculo prodiisse.

Daetalensium enim fabula quum juvenes finxisset duos, modestum alterum alterum petulantem, utrumque cum patre antiquorum homine morum et inter se in commessatorum turba colloquentes, immodestum autem vitae suae quam ἀθυρογλωττίᾳ describit effusa et alliciente voluptate per ipsum Chori assensum victorem fecisset, omnino mores juventutis perversos notaverat, fortasse etiam pravum ac dissolutum omnis populi statum perstrinxerat, judiciorum ac legum abusum, sumptuum profusionem. (v. Fragm. p. 39.— 53.) Potest etiam singulos homines obiter tetigisse, in summa tamen quum internum reipublicae statum cautissime notasset parcius et innocentius egerat, et si quid ita deerat acerbitatis id fortasse eo quo plerumque confugit temperatioris argumenti comoedia Herculis semper esurientis et ceterorum deorum irrisione compensarat (ad Sch. Vesp. 60).

Jam vero successu non infelici laetatus (Nub. 528 sq.) gravius aliquid aggressus est. Acerbius et majori cum libertate vellicabat eos qui multum in republica valerent, ingenio moribus favore populi idoneam comoediae praebebant materiam. In cavillando enim insignem comoediae versari virtutem quum pluribus ipse probavit fabulis tum idem se jam pridem sensisse significat (Equ. 525). Igitur Babylonios scripsit speciosi sane argumenti fabulam, quam quum urbanis Liberalibus docendam curasset (Sch. Acharn. 378), barbarorumque multitudinem Graecorum ante oculos in scena constituisset (*Βαβυλώνιοι οἱ βάρβαροι παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς* Hesych.), non potuit non attentionem hominum et mirationem excitare. In qua fabula quum multos traduxit et magistratus etiam ut Pisandrum et alios *δωροδόκους* conviciis petiit (fr. 50 al.), acerbissimo sale Cleonem perfricuit (Sch. l. l.) qui eodem tempore vere Ol. 88 an. 2 auctoritatem quandam apud populum consequutus erat (Thuc. III, 36). Quantum autem ex Acharnensium parabasi colligi potest (v. 633 sq.) opprobria in Athenienses fuderat poeta quod legatis se exteris tradidissent et adulationibus inhiarent, legationem illam Siculam carpens et *ἄνδρα ἐγκινούμενον* (fr. 56) orationis dulcedine animos delinientem.

Sequuntur Acharnenses, simplicis fabula argumenti neque implicatae actionis, mirae tamen inventionis magnae hilaritatis nec soliti artificii; qua Lacedaemoniorum in agros Atticae irruptiones bellique calamitates fundamento substruens animos agrestium Lacedaemoniis infestos et tamen frustra paci intentos eximia vi comica uno exemplo illustrat, quum unum faciat omnia sibi pacis commoda privatim comparantem iisque avide fructum, eos qui aliter sentirent irridentem.

Ne tamen jam Acharnensibus suo nomine prodisse poetam suspiceris, neve Daetalensibus ac Babyloniis doctis satis id quod intenderat consequutum esse credas, apertissima illa quae inter Acharnenses et Babylonios intercedebat conjunctio prohibet, quae non in argumento versatur utriusque fabulae conjunctiori sed alterius fabulae locis nititur ad alteram referendis. In quo ad illud attende quam in parabasios Acharnensium initio priores suos respiciat conatus: *ἐξ οὗ γε χοροῖσιν ἐφέστηκεν τρυγικοῖς ὁ διδάσκαλος ἡμῶν οὔπω παρέβη κ. τ. ἑ.* quanta laude audacem suam virtutem neque immerito praedicet (v. 641 sqq.) quantum honestam ac justam rem a suis partibus stare autumet (v. 661), quam singula quaeque ad Babyloniorum fabulae argumentum adaptet (v. 634 sq.). Tum locos vide quibus litem sibi a Cleone intentam queritur v. 477 sq. 502 sq. Illa enim *εἰςελκύσας γάρ μ' εἰς τὸ βουλευτήριον* e. q. s. sane quam scite ex histrionis ore poeta loquitur si uterque unus atque idem est: longius autem repetitum esset et simplicem loci vim perverteret si quis histrionem his respicere diceret quae quum poetae personam gereret passus erat et quasi partium oblitum nunc quoque sibi simile quid metuere. Omnia igitur quum eo spectare videantur ut res antea incepta ulterius hac fabula promoveatur et qui Babylonios suo docuerit nomine idem Acharnensium se poetam professus sit: haec quidem res omnibus viris doctis consensum expressit praeter unum Hanovium (Exerc. crit. p. 6). Lis tamen ipsa a Callistrato recepta ita memorabilis omnibus visa est ut plerosque in opinionem deduxerit jam Babylonios Aristophanis nomine doctam esse, scilicet ne alius ac meruisset accusationibus Cleonis petitus videretur. Qui ne antiquitatis et ipsius poetae testimonia negligere putarentur in eo quaesierunt opinionis receptum ut Comessatores

omnem Philonidi relinquerent, Acharnenses autem et Babylonios doctas quidem per Callistratum eundemque primarum actionem suscepisse concederent, tamen Aristophanem suum poetae nomen in utraque fabula professum esse perseveranter contenderent, Equites primum ipsum docuisse et primas fabulae egisse tuerentur. Hinc illum in Equitibus locum (v. 512 sq.) ita interpretati sunt ut chorum poscere non utique poetae esse dicerent sed ejus qui doceret fabulam simulque primas partes ageret. Atque ita qui acerrime hanc sententiam propugnavit Vir Doctissimus explicat ut haud injuria miratos esse homines dicat quid esset quod quum poetae scenici fabularum suarum choros ipsi petere ac primas agere ipsi consuessent tamen poeta satis jam nobilis a vulgari more desciscere voluisset. Monuit igitur Car. Hermannus (in diss. de injuriis a Cleone Ar. illatis p. 25, 26) non actoris fuisse ut peteret chorum sed ejus qui se poetam profiteretur, eundem ipsum docuisse fabulam ac si fieri poterat primas partes egisse, histrionum gregem, quo sententiam suam alia ratione confirmare velint adversarii, posteriori demum aetate commemorari quum mortuorum poetarum fabulae identidem in scenam committerentur. Quamvis autem constet singulos exstitisse qui in histrionia arte operam suam poetis locarent, non tamen nisi qui pro poetis habebantur chorum poposcerunt. Nec licet verba *χορὸν αἰτοίη καθ' ἑαυτόν* eo detorquere ut significent se nondum chorum petiisse quo ipse tanquam histrio uteretur: si quidem histrioni nullus chori usus sed poetae, nec largiores certe ex fabula fructus histrio quam poeta capit.

At si accuratius loco insistimus non video quid insolitum Aristophanis factum mirari ita homines potuerint quum jam antea celeberrimus ille Cratinus primarum actore Cratete usus fuerit, qui postea ipse poetae laude idque ante

Aristophanis primum proditum floruit (*πρῶτον ὑπεκρίνατο τὰ Κρατίνου καὶ ὕστερον αὐτὸς ποιητὴς ἐγένετο* Meineke Qu. Scen. I, 26. Ar. Eq. 537 sqq.). Neque intelligo quam tandem justam mirationis causam habuerint si Babylonios et Acharnenses docendas aliis traderet, scriptas a se profiteretur, eoque palam innotescens majorem laudem amplecteretur, minorem recusaret. Apparet autem ex loco illo omni in eum qui chorum posceret laudem et honorem redundare. Quum vero pro difficillimo se habuisse *κωμῳδοδιδασκαλίαν* confiteatur (*πολλῶν γὰρ δὴ πειρασάντων αὐτὴν ὀλίγοις χαρίσασθαι — ταῦτ' ὀῤῥωδῶν διέτριβεν ἀεί*), nec fidem habuisse populi ingenio fluxo ac mutabili: qui potuit non majorem illam laudem quae poetae impertitur eo magis adspernari quo magis firmo vinculo foedus inter populum ac poetam stabilitum vellet? Itaque illa distinctio inter poetam et didascalum fabulae facta tantum abest ut Aristophaneae illi inter rectorem prorae et navis gubernatorem respondeat ut qui poetam se professus sit ulterius quam qui in scenam commiserit aut partes egerit progressus videatur.

At si in Equitum loco subtiles illas distinctiones tanquam poeticum ornatum negligere velimus — quod tamen neque nos committimus nec quos adversarios habemus committendum sibi putant — sed si negligamus omnem parabasin et in Daetalensibus tantum poetam suum nomen dissimulasse statuamus, non video quomodo Vesparum locus nobis interpretandus sit v. 1017 sq. quo loco haec de poeta proferuntur:

ἀδικεῖσθαι γάρ φησιν πρότερος πόλλ' αὐτοὺς εὖ πεποιηκώς
τὰ μὲν οὐ φανερῶς ἀλλ' ἐπικουρῶν κρύβδην ἑτέροισι ποιηταῖς

μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν
εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς κωμῳδικὰ πολλὰ χέασθαι,
μετὰ τοῦτο δὲ καὶ φανερῶς ἤδη κινδυνεύων καθ' ἑαυτόν
οὐκ ἀλλοτρίων ἀλλ' οἰκείων μουσῶν στόμαθ' ἡνιοχήσας.

In quo illa *φανερῶς κινδυνεύων κ. τ. ἑ.* vide quam aperte opposita sint praegressis *ἐπικουρῶν ἑτέροις ποιηταῖς,* ac respice quo sensu se alienis antea tum vero suis ipsius musis vectum dicere possit. Haec igitur quoquomodo detorqueantur plures eum fabulas pluribus poetis ipsorum periculo ac nomine docendas tradidisse ipsius poetae confessione confirmant.

Nec vero illud negligendum est quod in Equitibus fabula nihil invenies quod ad Acharnensium successum respiciat, neque invicem locus in Acharnensibus v. 298 sq. ita interpretandus est ut Equites fabulam jam antea animo designarit. Vereor enim ne Hermannus qui et ipse hunc locum in suam rem adhibuit (de injur. Cleonis p. 6) ansam praebuerit iis qui animo agant cupidiori quam sedatiori. Chorus Acharnensium Dicaeopolidem persequitur, vix abstinet quin eum lapidibus obruat propter pacem cum Spartanis sibi soli initam, excusationes non audit quod gravius odisset hominem quam ipsum Cleonem quem se equitibus in soleas proscissurum minatur (*κατατεμῶ τοῖσιν ἱππεῦσι καττύματα*). Nihil vero aliud haec verba produnt quam dissensionem illam inter equites et Cleonem jam illo tempore erupisse, nemini certe ignotam (Ach. v. 6), eamque chorus non componere se velle dicit sed hominem in nativis opificii sui sordibus, quod commodo sit ejus inimicis,

omnem depressurum. Neque ulterius progreditur Scholiasta etsi is saepe in suspicando justo plus sapit (*ὅτι δὲ τοῖς ἱππεῦσιν ἦν τις ἔχθρα πρὸς Κλέωνα*). Quum vero Dicaeopolis ille pacis amantissimus poetae ubique sententiam enuntiet, neque ita multo post plane in ejus partes delabatur, omnia jam pervertentur si Chorus quoque qui est illi plane adversarius poetae personam suscipere videatur. Denique consilium hoc quod loco inesse volunt ut suam fabulam aliquando scribendam designarit, certe nec spectatori cuiquam neque ipsi Cleoni patere potuit qui nec scirent futura nec praesagirent.

Quod vero praesidium suae sententiae ille vir doctus in Vesparum et Pacis locis (v. 1030 sqq. 752 sqq.) invenisse sibi visus est, non dubium est quin ad Equites versus illi celeberrimi referendi sint: sunt enim haec ad magnam illam ac speciosam imaginem Equitibus propositam egregia imitatione expressa, et quasi iisdem coloribus minuta effigie descripta. — Alius restat locus Pace v. 760 qui omittendus certe esset nisi vir doctissimus temere neglectum questus eo uno plane rem confici putasset. Eum tamen intelligendo facit ut non intelligat si id colligit pro insulanis Aristophanem minime in Equitibus sed fortissime in Babyloniis propugnasse. Quum enim illam Cleonis adumbrationem paucis sed acerrimis lineis descriptam e Vespis in Pacem proximam fabulam transtulerit quo haec urbanis etiam Liberalibus maxima hominum frequentia audirentur, sententiae eidem insistens immutata consulto oratione ita pergit:

τοιοῦτον ἰδὼν τέρας οὐ κατέδεισ' ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν πολεμίζων
ἀντεῖχον ἀεὶ καὶ τῶν ἄλλων νήσων.

Scilicet ut placeret omnibus qui aderant non Atheniensium tantum sed simul insularum etiam commodo se

studuisse confirmat quod populi rebus conjunctissimum esset. Ecquid aut pulchrius in fabula quae propter remotas jam belli causas pacis amorem spirat vividissimum, aut aptius ad sociorum animos firmius populo devinciendos? Conf. Thucydidem (V, 14 *καὶ τοὺς συμμάχους ἅμα ἐδεδίεσαν σφῶν μὴ διὰ τὰ σφάλματα ἐπαιρόμενοι ἐπὶ πλέον ἀποστῶσιν*).

Jam vero quum narrationi illi in Equitibus quin ut fecimus explicetur nullus ceterarum fabularum locus repugnare videatur, age accuratius insistamus rei, grammaticorum et scholiastarum testimonia exputantes. Qui quum poetae cognitionem saepe interpretationibus pravis mire pervertant vel languidis et superfluis enecent: tamen ad historiam illam interiorem quum pleraque ex doctissimorum criticorum scriptis uberrimis sane fontibus hauserint, permulta habent quae tollere possis. Sunt quidem ejusmodi loci Scholiorum ut in utramque saepe partem accipi possint: verum tamen id quod speciem tantum habet et primo rei obtuitu reperitur, etsi sexies ac decies dictum invenias nec nisi uno loco id quod minus vulgare et accuratiori effectum contemplatione videatur: quis non hoc potius pro illo amplectetur et ulterius investigandum ducet? Ita quae Scholiasta promit Vesparum v. 1275: *ἄδηλον πότερον τῆς Καλλιστράτου εἰς τὴν βουλὴν εἰςαγωγῆς καὶ νῦν μιμνήσκεται ὅτι αὐτὸν Κλέων εἰςήγαγεν, ἢ ἑτέρας κ. τ. ἑ.* quaeque ad Acharnenses v. 654: *ἔοικε ταῦτα περὶ Καλλιστράτου λέγεσθαι ὃς κεκληρούχηκεν ἐν Αἰγίνῃ κ. τ. ἑ.* majoris sane in argumentorum computatione ponderis erunt: illa vero quibus Aristophanes non tantum nomen suum professus esse sed vel docuisse Babylonios et Acharnenses perhibetur (Sch. Ach. 377 al.) vel per Acharnensium didascaliam erroris ac levitatis arguentur. Denique restant quae

ipsa dicendi ratione in contrarium afferri non possunt ut Sch. Ach. 502 *ἐν τοῖς Βαβυλωνίοις εἰρηκέναι κατὰ πολλῶν τὸν Ἀριστοφάνην.*

Atque illius quidem ad Vespas scholii fides infringeretur sane si histrionem ut praemiis victor donabatur ita interdum pro poeta poenas dedisse constaret. At vetus illa quae fidem rei facere videatur narratio qua Cleonis partes in Equitum fabula neminem in se recipere ausum tradebatur conficta jam aliis visa est ex loco Equ. v. 232 idque jam a vetere interprete, ex quo fonte sua consuetudine hausit Vitae scriptor p. XIII (— *τὸ πρόσωπον αὐτοῦ σκευάσαι δι' ὑπερβολὴν φόβου ἅτε δὴ τυραννικοῦ ὄντος μηδὲ μὴν ὑποκρίνασθαι τολμῶντος*). Et demus vapulasse interdum histriones, (Hermann. l. l. p. 16 sq.) at in judicium vocatos nemo nobis persuadebit, nisi si iidem et docuerunt et poetae sibi jura vindicarunt. Contra poetae ut mercedem a senatu accipiebant (Boeckhius Oec. p. Ath. I, p. 258 n.) ita certe arbitrio senatus subjecti in jus agi et damnari poterant.

Ac Philonidem quidem quem poetis accenset Aristophanes ipsum fabulas scripsisse notissimum est: Callistratus autem num vere poeta fuerit vix hodie constitui potest. Exempla quidem exstant virorum qui postquam in aliorum fabulis partes egerant ipsi post fabulas scripserunt, ita Crates ille Cratini, Demostratus Eupolidis actor: sed quum fabulae ab ipso scriptae non commemorentur non plus significari videtur illo Vesparum loco quam Aristophanem illa demum cautione dicam an liberalitate quem comprobatum iri populo histrionia arte sciret libenter in suum poetae locum adscivisse.

Restat locus ille in Acharnensium parabasi quo Babyloniorum poetam Persarum regi ex legatorum Lacedae-

moniorum ore innotuisse perquam lepide narratur et Lacedaemonios Aeginam insulam bello oppressisse non alia causa sed ut poetam hunc Atheniensibus eriperent. Quod ex hoc loco de nominis claritatè concluserunt quae Aristophani tantum non Callistrato ignobili homini conveniret, atque inde unice Aristophanem a semet ipso ornari potuisse contenderunt: id quam futile sit si quidem illo tempore non Aristophanis claruisse gloriam necesse est sed ejus quisquis Babylonios docuerat egregie explicuit Hermannus (Diss. l. p. 22, 23): quamquam quae de nominis fama illo loco traduntur, nihil nisi comicum quoddam commentum continere videntur ut regem Persarum delicias illum comoediae, legatos Lacedaemoniorum ipsos denique Athenienses joco perfundat lepidissimo. De domicilio vero illo aeginetico jam inter veteres esse disceptatum argumento sunt scholia quae ad v. 654 exstant. Qui tamen Aristophani honorem vindicat vide quam perverse rem suam agat: *ἐντεῦθέν τινες νομίζουσιν ἐν Αἰγίνῃ τὰς κωμῳδίας ποιεῖν τὸν Ἀριστοφάνην διὰ τὸ ἐπενηνοχέναι αὐτόν· ἀλλ' ἵνα τοῦτον τὸν ποιητὴν ἀφέλωνται τὴν Αἴγιναν οὐχ ὑμᾶς.* Additis autem verbis *οὐδὲν ἐκώλυε καὶ ἑτέρωθι συγγράφειν εἰ ὑπὸ Λακεδαιμονίους ἡ νῆσος ἐγεγόνει* siccam et putidiusculam interpretandi rationem aperte prodit. At qui Callistrati patrocinium suscepit vide quam distincte ac circumspecte loquatur *οὐδεὶς ἱστόρηκεν ὡς ἐν Αἰγίνῃ κέκτηταί τι Ἀριστοφάνης, ἀλλ' ἔοικε ταῦτα περὶ Καλλιστράτου λέγεσθαι ὃς κεκληρούχηκεν ἐν Αἰγίνῃ μετὰ τὴν ἀνάστασιν Αἰγινητῶν ὑπὸ Ἀθηναίων.* Itaque in prioribus illis eandem manum agnosces quae in verbis *ξένων παρόντων* explicandis infeliciter versata est (v. 502): in his auctorem reperies eum qui de Callistrati *εἰςαγωγῇ* suspicatus erat. Vitae autem Ar. scriptor (p. XIII) quum plures colligat de

patria poetae opiniones etiam Aeginam ut par est refert. Majorem fidem habet luculentissimus ille Scholiasta Platonis qui (331 pag.) haec dicit de Aristophane: *κατεκληρώσατο δὲ καὶ τὴν Αἴγιναν ὡς Θεογένης ἐν τῷ περὶ Αἰγίνης,* uno tantum verbo insignem auctorem attingens. Hinc si ardentius egisse egregius ille Aristophanis Scholiasta videatur et utrumque *κληροῦχον* in insula fuisse statuas — id quod visum est Boeckhio Oec. p. Ath. p. 461 n. et Muellero Aegineticis — eo non corruet nostra sententia, sed lepidus jocus novus etiam huic praeconio suberit, ut quum amicum celebret sibi ipsi gloriolae receptaculum quoddam relinquat.

Nec vero levis momenti est locus ejusdem illius ad Apologiam Platonicam scholii quo Aristonymum dicit et Sannyriorem per ludibrium dixisse *τετράδι αὐτὸν γενέσθαι, διὸ τὸν βίον κατέτριψεν ἑτέροις πονῶν· οἱ γὰρ τετράδι γεννώμενοι πονοῦντες ἄλλοις καρποῦσθαι παρέχουσιν — ταύτῃ δὲ καὶ Ἡρακλῆ φασι γεννηθῆναι.* Quem locum certatim ab interpretibus inde a Seidlero laudatum, a vitae scriptore paulum immutatum ita explicitum iverunt ut derisum dicant poetam qui quod jucundissimum esset et fructuosissimum primarum actionem aliis reliquisset; histrionis scilicet commodis supra poetae laudem evectis.

Omnia illa si reputes fides erit diserto testimonio Sch. Rav. ad Nub. 530 *ἀπὸ δὲ τῶν Ἱππέων ἤρξατο δι' ἑαυτοῦ εἰςιέναι* et ad Vesp. *πρῶτον δρᾶμα καθῆκε δι' ἑαυτοῦ τοὺς Ἱππέας,* neq. addubitabuntur verba Sch. Nub. v. 528, quibuscum contendantur quae emendatius servata sunt biographi: *εὐλαβὴς δὲ γενόμενος τὴν ἀρχὴν — τὰ μὲν πρῶτα διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθίει δράματα.* Quum vero ad Callistratum pertinuerint Babylonii et Acharnenses, Philonidem prodiisse Comessatoribus probabili con-

jectura Dindorfius constituit (Arist. fragm. p. 40), contra scriptorem de comoedia (p. VII) qui quae de Aristophane profert quamquam paucissima falsa tamen plura veris continent.

Atque in illis quidem ad Equitum locum adaptandis ita mihi ab Hermanno (p. 28 sq.) discedendum erat ut non diversa illa evulgandarum fabularum ratione Daetalenses ac Babylonios ab Acharnensibus, utrasque ab Equitibus sejungerem, sed in argumento etiam liberiori et lacessendi licentia effusiori causam viderim Babylonios a prima fabula discernendi artius autem cum Acharnensibus conjungendi.

Qua autem ratione impulsus fuerit poeta quodve consilium sequutus quum alternis histrione utroque uteretur, id jam veteres interpretes eo compulit ad argumentum fabularum ipsarum respicientes ut alteri politicas fabulas traditas opinarentur, alteri privatas sive eas quibus poetae philosophi domesticae denique res perstringerentur. Quae distinctio quum nec ratione certa nitatur neque ad histrionum ingenium artemve usquequaque pertineat, a Suvernio Dindorfio aliis rejecta est, idque eo probabilius quod non omnes quas pro domesticis habent a Philonide neque publicas illas a Callistrato commissas didascaliae arguunt. Ridiculum paene est causas ejusmodi rebus vel invitas extorquere; nec quidquam certi statui potest quam quod egregium repperisset histrionem utrumque hinc utriusque ingenio atque opera usum esse. Habuit igitur Aristophanes histriones suos in perpetuum sibi addictos eoque certe multis nominibus conjunctissimos ut Telestem Aeschylus, Cephisophontem Euripides, Cratetem Cratinus; idque videndum quo pacto conciliari possit cum loco Hesychii et Suidae (p. 2573 Gf.) s. v. *νεμήσεις ὑποκριτῶν· οἱ ποιηταὶ ἐλάμβανον τρεῖς ὑποκριτὰς κλήρῳ νεμηθέντας ὑποκρινομένους δράματα· ὧν ὁ*

νικήσας εἰς τοὐπιὸν ἄκριτος παραλαμβάνεται. Quem locum neque ab Hemsterhusio neque a Boettigero (de actoribus p. 5, 6) sufficienter explicatum, nisi adversari velis illi inter poetam et histriones conjunctioni, minus anxie ita interpreteris ut primum sorte electum esse histrionem credas, ut si vicisset huic in proximis poetae fabulis partes sine sortis discrimine tribui possent, quod non semper factum esse Avium didascalia ostendit. Certe judicium distributionis penes poetam erat (Boett. de actoribus p. 7) et quod bonorum etiam poetarum fuisse Aristoteles tradit (Poet. Cap. 9) ut histrionum gratia fabulas exornarent, quodque de Sophocle confirmat Ister *πρὸς τὰς φύσεις τῶν ὑποκριτῶν γράψαι τὰ δράματα,* certe etiam in comicum cadet ut quum fabulas componeret artem et dexteritatem histrionum respexerit. —

Verumtamen illa Aristophanis pertinax cunctatio cur minus fide digna habita sit facile suspicari licet. Primum enim praeter illam poetae et histrionis conjunctionem nulla sufficiens causa dissimulati nominis perspici poterat quum omnis haec ratio nostris moribus repugnare videretur; tum vero mirum plerisque nec credibile visum est innocentem hominem ita judicio traditum quae ab alio commissa erant suo damno luisse.

Itaque ut accuratius insistamus rei constans est fama litem a Cleone motam esse post Babylonios doctam, eamque ad Callistratum subornatum fabulae poetam pertinere patet Acharn. v. 502 sq.:

οὐ γάρ με νῦν γε διαβαλεῖ Κλέων ὅτι
ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγω

et 379 sq. Conf. Schol. Vesp. 1275. In quo si quaeras quo nomine eum in judicium vocaverit aut vocare potuerit, actionem *ἀδικίας πρὸς τὸν δῆμον* intendisse ei videtur quo

nomine leviora illa delicta quae populi majestati officere videbantur petita esse probabile facit Meierus in libro de actionibus (p. 344—6). Ita Schol. ad Ach. 377: *ὀργισθεὶς ὁ Κλέων ἐγράψατο αὐτὸν ἀδικίας εἰς τοὺς πολίτας ὡς εἰς ὕβριν τοῦ δήμου ταῦτα πεποιηκότα.* Quae vero sequuntur *καὶ ξενίας δὲ αὐτὸν ἐγράψατο καὶ εἰς ἀγῶνα ἐνέβαλεν* referenda sunt inter multas illas pravas grammaticorum conclusiones quae saepe rebus probe positis adjiciuntur. Peregrinae enim originis calumniam ei ingestam esse, id quod recentissimo etiam tempore repetitum et creditum est, negligentius tantum loco inspecto suspicari potuerunt, quum sit plane extra argumentum fabulae posita: nec conjungi utraque diversissima in judicio potuit. Erat autem *φιλοξενίας* potius crimen, et probe in hac re acquiescit aliud scholium quod ad locum ipsum conscriptum legitur; illinc vero pendet omnis vitae scriptor (p. XIV) *δεύτερον δὲ καὶ τρίτον συκοφαντηθεὶς ἀπέφυγε καὶ οὕτω φανερῶς καταστα-θεὶς πολίτης κατεκράτησε τοῦ Κλέωνος.*

Miraberis litem in libertate illa comoediae quae ludendo cavillando petulantissima licentia risum et delectationem hominum capere solita quum singulos homines quantumvis honore et gratia populi excellentes tum universum populum ita perstrinxit, ut illis vix quidquam imminutum potestatis, raro detractum quid gravitatis, populo eundem animum eandem ingenuam hilaritatem videres; miraberis illo potissimum tempore quod medium inter coercendae hujus libertatis conamina ipsum erat effrenata quadam licentia insignitum: nec poteris rem nisi ex turbulento et ferociori hominis ingenio explicare, qui indignatus eo quod se opprobriis petitum risus materiam videret (Sch. Ach. 377) animos tamen hominum nullis non adulationibus deliniturum se confisus erat (Ach. 372 sq. cf. Pac. 756). Qua lite non

vicisse Callistratum omnis oratio Dicaeopolidis prodit Ach. 370 sq.

καίτοι δέδοικα πολλά, τούς τε γὰρ τρόπους
τοὺς τῶν ἀγροίκων οἶδα χαίροντας σφόδρα
ἐάν τις αὐτοὺς εὐλογῇ καὶ τὴν πόλιν
ἀνὴρ ἀλαζὼν καὶ δίκαια κἄδικα·
κἀνταῦθα λανθάνουσ᾽ ἀπεμπολώμενοι.

Quae sequuntur ὥστ᾽ ὀλίγου πάνυ ἀπωλόμην comicam certe rei exaggerationem continent, eoque rursus ridendi materiam quamquam non in re ipsa sitam extrinsecus captat. Hoc igitur profecto erat inter illa ψαμμοκοσιογάργαρα quibus cor suum afflictum initio fabulae queritur; quem si tamen vicisse putes, ecquid proferre potuit Dicaeopolis ille ἀξιώτερον χαιρηδόνος? — De multa tamen quae ei irroganda erat quid statuendum sit in testium inopia non patet. Quod enim proclive est suspicari eam quod populo placuisset fabula abolitam esse exemplis deficientibus vix contenderim (vide Schoemann, de lite. p. 753 sq.).

Quae qui perpenderit non vereor ne injuste ac subdole egisse clamet Aristophanem quod suo se periculo subduxisset callidius quam probius. Vix enim judicium illud suspicari potuerat; postquam vero acta erat fabula non potuit quisquam reus agi ac qui se poetam publice professus esset; immo necessarium erat qui animos hominum accendisset, eundem nisi se injuste egisse confiteri vellet ulterius causae insistere. In quo vide quam egregie Aristophanes malum illud homini compensarit quum Acharnenses eidem docendas tradiderit qua fabula quum Lenaeis committeretur maledicendi ille praetextus aberat, quibus laudibus eum evexerit haud vulgaribus (v. 644, 653 sqq.) quas ex parte quidem meritus erat, iisque consulto ex illa fabula petitis quae Cleonem ad ipsam accusationem perpulerat;

quumque odium vehemens in istum prodat (v. 300), conviciis tamen gravioribus abstinet, non ignarus omnem se fabulam ὑπὲρ ἐπιξήνου scribere.

Alias turbas postea etiam movisse Cleonem et Aristophanem ipsum post Equites doctam ab eo petitum esse apparet ex Vesparum loco v. 1284 sqq.

ἡνίκα Κλέων μ' ὑπετάραττεν ἐπικείμενος
καί με κακίαις ἔκνισε κ. τ. ἑ.

sive poetae huic quoque litem intendit seu quod verisimilius est minis eum terruit; vix enim in felicissimo fabulae successu serio rem aggredi ausus esset. Ita locum intelligit Schol. Vesp. ἑτέρας κατ' αὐτοῦ γενομένης Ἀριστοφάνους [εἰ] καὶ μὴ εἰςαγωγῆς ἀλλ' ἀπειλῆς τινος ὅπερ καὶ μᾶλλον ἐμφαίνεται. Etenim si ad priorem illam accusationem qua Callistratum petitum statuimus rumores illi de reconciliatione inter Cleonem et poetam facta pertinuissent, quod eodem loco a Schol. proponitur et rejicitur, certe non post ipsos quattuor annos obsoletam rem ac prope intermortuam ex torpore et oblivione resuscitasset, sed jam Acharnensibus refutasset omnemque placati animi suspicionem Equitibus oppressisset, quae fabula omnis comica vi stipata ultimum acerbitatis et petulantiae finem attigisse videtur. Hinc rumorem istum nonnisi post Equites doctam dispersum esse patet; quod quum neque continuo post fabulae odium fieri potuerit, unice vera interpretatio loci difficillimi eá videtur quam singulis vocibus aliter ac vulgo explanatis Hermannus constituit (Diss. l. p. 8—15) qua sermones hos hominum post Nubes, τὴν πέρυσι κωμῳδίαν doctam obortas esse demonstrat. Ita enim nexae sunt sententiae: Sunt qui dicant me Cleoni in proxima fabula pepercisse reconciliatum, quando ille minis me ac vexationibus terruit. Quid vero illi ridebant tantum quum me angustiis pressum viderent, neque

curam ullam poetae ita afflicti habuerunt suae tantum delectationi prospicientes? Haec quum viderem non potui exspectationes hominum paululum decipere (*ὑπό τι μικρὸν ἐπιθήκισα*), misso Cleone et alio argumento electo; hinc vero in proxima fabula vos quibus innisus eram plane me destituistis (*ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον*). — Aliis etiam fabulae locis de eadem populi iniquitate queritur (v. 1043 sq.), Cleonem se non amplius contriturum affirmat (v. 62 sq.).

Hoc igitur mobile ingenium quum probe perspexisset satis certae causae habebat ex tutiori loco circumspiciendi cujusmodi artibus benevolentia populi firmissime posset conciliari ac fidissime conservari; nec justo diutius cunctatus videbitur si quidem id quod metuerat ne gratia populi excidere posset etiam anno post quam omnes cunctationis causas remotas senserat in Nubium casu expertus est.

Quas vero praeterea difficultates commemorant quibus impeditum fuisse poetam opinantur quominus suo nomine jam antea prodiret eae quum prava loci in Nubibus interpretatione tum rerum confusione obortae sunt. Recte Schol. ad Nub. 530 C. Rav: *οὔπω ἐπέτρεπον ἐμαυτῷ λέγειν διὰ τὴν αἰδῶ.* Haec in Schol. vulg. ita immutata leges: — *λέγειν δημοσίᾳ διὰ τὸ νέον τῆς ἡλικίας,* quae facile perspectu est quam sint praepostere conjecta ex verbis poetae *παρθένος γὰρ ἔτ' ἦν* et *παῖς δ' ἑτέρα.* Quae vero addita his leguntur *νόμος δὲ ἦν μὴ εἰςελθεῖν τινα εἰπεῖν μήπω τεσσαράκοντα ἔτη γεγονότα· ὡς δέ τινες τριάκοντα* omissa sunt in Cod. optimae notae Rav. nec videtur haec lex poetas tenuisse de quibus minime valent voces *εἰςελθεῖν, εἰπεῖν,* idque permulta et notissima exempla prohibent.

Quid vero quod ipso illo loco alia virgo partum suscepisse traditur? Sunt autem ad illius quae in foro valuit

legis exemplum conficta, id quod magis glossa Victorii ad v. 510 probatur: *νόμος ἦν Ἀθηναίοις μήπω τινὰ λ' ἔπη γεγονότα μήτε δρᾶμα ἀναγιγνώσκειν ἐν θεάτρῳ μήτε δημηγορεῖν.* V. Clinton. F. H. p. LVI sq. Quamquam etiam illa lex quae aetatem Choragorum in quadraginta annos constituit apud Aeschinem in Timarch. p. 298 Bek. commentum illud adjuvare potuit.

At difficile erat chorum a tribu impetrare. Speciem sane aliquam opinioni praebet Schol. Platonici locus p. 399 s. v. *χορὸν οὐ δώσομεν*, quem exscripsit Suidas p. 3915: *παρὰ γὰρ τοῖς Ἀθηναίοις χοροῦ ἐτύγχανον κωμῳδίας καὶ τραγῳδίας ποιηταὶ οὐ πάντες· ἀλλὰ οἱ εὐδοκιμοῦντες καὶ δοκιμασθέντες ἄξιοι,* quem locum comprobat Cratini ex Delicatulis versus *ὃς οὐκ ἔδωκ' αἰτοῦντι Σοφοκλέει χορόν* (Ath. XIV, 638 E.) et Aristophanis ipsius *χορὸν δε μὴ 'χῃ Μόρσιμος* (Pace 803). Verumtamen si justa in illa difficultate excusatio erat, non facile aut poeta ipse eam praeteriisset aut homines temere mirati rem fuissent sibi non ignotam. Ac poterant fabulae scriptae archontibus tradi ut ante commissionem perlectae probarentur. Denique quum spectandi cupiditate populus flagraret universus in Comoedia quae minoris insuper impensae erat liberalitate egerunt spectatissima, ut unius tantum fabulae commissione opus fuisse videatur ut poeta inter nobiliores referretur.

Alia restat causa qua Aristophanes in suum poetae locum histriones illos adscivisse videatur eaque in ipsa comoediae natura occultius latet. Quum enim vetus comoedia in rebus publicis tanquam fundamento versetur et in populi libertate laetissime floruerit, argumentum suum omne ad spectatorem populum et praesentiam rerum ita refert ut interioris saepe Atheniensium historiae imaginem praeferat, non illam consulto compositam aut arte expressam

sed in transitu sed paucis lineis coeptam. Hinc singula hujus rei vestigia quamvis occulta non exstinguenda sed accuratius inquirenda erunt. Sed uberrimam hanc materiam ut restringamus, indicia singula in Aristophanis fabulis insunt quibus factiones illo tempore rempublicam tenuisse ac movisse significetur; id quod historiae etiam scriptorum et oratorum notitiis ita comprobatur ut singulae partes conjunctiores inter se in summo aliquo fine consensisse et conspirasse videantur. Quas detegere historiae publicae scriptoribus non placuit quum res tantum gestas enarrarent, interiores illas machinationes vix respiciendas putarent (Rem exposuit Huellmannus cujus librum de Synomosiis consulere non licuit).

Quod igitur omnium temporum in Atheniensium historia et lege adeo sancitum fuerat ut singulas partes cives sequerentur, id Peloponnesiaci belli tempore intentis hominum animis quum alii paci essent propensiorcs, alii belli cupiditate non sine ambitionis causa flagrarent, eo usque prorupit ut non quietus quisquam partes amplecteretur quibus se addictum sciret, sed turpius et per cupiditatem omnia agerentur. Sodalitia exstiterunt (*ἑταιρεῖαι*) politico nexa vinculo ut in magistratuum ambitione et in judiciorum discrimine invicem sese sustentarent sodales, conjunctisque partium viribus et certo omnium consensu privata consilia perficerent.

Ita a Thucydide VIII, 54 *ξυνωμοσίαι ἐπὶ δίκαις καὶ ἀρχαῖς* dicuntur. In Aristophaneis autem sodalitii hujusmodi exemplum est quamquam in re leviori Vespis v. 1300 sq. ubi nominantur Hippyllus Antiphon Lyco Lysistratus Theophrastus *οἱ περὶ Φρύνιχον*; quo loco dolendum est plane nos Scholiis destitutos esse; apertiora indicia in Equitibus sunt.

Igitur quum potestas Cleonis vigeret isque in impetu et vehementia agendi animum tamen ac strenuitatem haud vulgarem ostenderet, consentaneum erat eos qui minus gravitate pollerent et tamen opibus ingenioque excellerent secretius primum agere, corroboratis viribus contra eniti vehementius, id quod postea contra Alcibiadem quoque molitos esse constat. Ita Niciam qui decennio post viribus et numero satis creverat ut hoc jam tempore clam sese opposuisse et cum asseclis egisse putemus, insignis illa viri quamquam religiosa ambitio et principatus statim post Periclis mortem non sine desidia quadam affectatio probabile facit (Plut. Nic. 2).

Praeter Niciam vero quum alios tum Equites contra Cleonem machinatos esse certum est quorum opera factum erat ut multa illa quinque talentorum Cleoni irrogaretur propterea quod ab insulanis se corrumpi passus esset ut tributa iis imminuere conaretur (Ach. v. 6 cum Sch.). Quae insolita equitatus potentia nonnisi ex temporum et belli angustiis explicari potest: quum enim in communi hominum trepidatione equitum tantum opera hostes a moenibus arceri posse viderentur omnisque reipublicae salus in eorum fortitudine versaretur, iidem postquam rem persuaserunt populo consensu ac conspiratione plagam illam inflixisse Cleoni videntur, quod jure ac lege non valuerunt. Conjectura haec Car. Hermanni diss. de Equitibus atticis (p. 44 sq.). Atque ab iisdem inter se conspirantibus Cleo verberibus se affici conqueritur: Eq. 257 *ὑπ' ἀνδρῶν τύπτομαι ξυνωμοτῶν* v. 476 *ὑμῶν ἁπάντων τὰς ξυνωμοσίας ἐρῶ* sq. horum machinationes arguit v. 314, 462 sq.

Quid vero si idem sensisse Aristophanem idem etiam Callistratum conjicies ut uterque partibus adhaeserit pacis ac patriae amore incensis ideoque justissime contra Cleonem

conspirantibus. Namque etiam comoediae scriptores quum populi judicium regere ac moderari possent certas partes sequutos esse interior illa historiae ratio idemque conspectus ipse fabularum docet.

At nullae esse factionis comoediam dices sed libertatis comitem neque anxias unquam sequutam rationes nec summa perterrefactam potentia quod vellet de quo vellet effudisset; et risisse quae vitiosa essent: vitio imbuisse quae deridere vellet. Tum vero populum ut suis ipsius vitiis si moderatione quadam a poeta detecta essent mira judicii lenitate delectatum, ita potentioribus civibus qui essent ludibrio comoediae expositi non tamen quidquam potentiae detraxisse.

Eximia sane illa populi virtus quam tamen ne ita late patuisse credas ut mutua comoediae in vitam publicam vis omnino neganda videatur. Etsi enim potestas eadem mansit, quod neminem certe lateret ingenium atque mores virorum atris quasi coloribus et supra verum deformes descriptos esse, profecto tamen alia interdum facie a multitudine conspiciebantur, nec certe eadem integritatis ac virtutis laude, eadem in agendo auctoritate fruebantur. Nec enim Cleo in judicium vocasset poetam minisve eum terruisset sed plane conamina haec neglexisset.

Ne tamen comoediae rationem qua conscribi solita sit pervertere videar, ita me sentire confiteor: Aristophanem quod ipso ingenio duceretur fabulas in delectationem populi scripsisse, quum vero rebus publicis omnem eorum vitam conjunctissimam esse sciret, recentissimae historiae civilis argumenta poesi suae intexuisse; hinc quum multa modis miris variata, summa tamen artis conscientia conjungeret, singulos tamen quos plurimum in republica valere neque justitia ubique et probitate agere videret intentius vellicasse

et acerbiori perfricuisse sale; atque in hac re iis qui idem sentirent approbantibus suasoribus adjutoribus denique in committendis fabulis usum.

Hinc pro scriptore fabularum valuit Callistratus non ideo tantum quod cognitus fortasse populo et jam antea comprobatus esset, sed ut poeta ipse exspectans fabulae successum altera jam acerbiori et audaciori fabula prodiens et quasi ex alia parte ingressus eundem illum omni turpitudinis genere conspicuum proscinderet vehementius idque eo tutius quod minas *βορβοροθύμους* nondum expertus esset. Unum igitur si perniciosos cives consectaretur non multum effecisse fac, quid vero si plures conjunctis viribus in eundem irruere videbantur vanitatem ejus et machinationes detegere, personam homini detrahere conati? Non mirum igitur eum qui laudis ac victoriae insignem partem sibi sumpsisset, nec periculum detrectasse ipsumque subiisse judicium; omne enim damnum a factione illa quae contra Cleonem conspiraverat compensatum credibile est. Hinc jam partim concidit ratio quae confidentiores justo fecit Fritzschium Grysarem alios, qui Callistratum ingenti terrore menti offuso veri scriptoris nomen potius editurum fuisse opinantur quam se ingenti periculo pro Aristophane objecisse. Rem significavit etiam Hermannus (de injur. Ar. illatis p. 30).

Unum restat quod quum causas rei omnis a nobis propositas convellere posse videatur rem tamen ipsam novo praesidio firmat. Postquam enim pluribus fabulis suo nomine doctis victor exstiterat nihilo minus aliquot annorum interjecto spatio rursus per utrumque histrionem fabulas docuit atque Aves quidem Callistrati nomine, Ranas Philonidis id quod fortasse etiam vitae scriptor indicare voluit quum dicat *ὕστερον δὲ καὶ ἠγωνίσατο αὐτός.*

Itaque quod de poesios suae primordiis fecisse poetam statuimus ut primas illas fabulas, ipsa jura et commoda poetae aliis concessisse videatur, id ex parte non Proagonem tantum sed etiam Aves et fortasse Ranas tenebit, nisi in illa ratione acquiescere velimus quam supra de histrionis cum poeta permutatione in didascaliis facta proposuimus.

In quo verisimile est antea inter utrumque convenisse utri victoris praemium et honor concedendus esset. Causas autem dissimulati rursus nominis quum neque in modestia illa cauta ac circumspecta neque in fabularum argumentis facile invenias, illas incertas relinquere satius erit quam testium comprobatorum fidem temere pervertere.